ANNOTATIONUM SELECTARUM,

Ex

Hugone Grotio

AD

NOVUM TESTAMENTUM,

SPECIMEN.

.h e.

Ad VII. Capita S. Matthæi.

Dicatum D. Vicecancellario Oxon.
In Usum Juventutis Academicæ.

Si judicas, cognosce.

OXONIÆ.
Pro *Joh. Barksdale Lond.*
Ad Quinque Campanas Novi Vici.

MDCLXXV.

Imprimatur.

Rad. Bathurſt

Vicecan. Oxon.

Tho. Barlovius T. P. Oxon.

De *Grotio*, ſic cenſeo (quanquam illi non in ſingulis conſentio) fuiſſe eum omnium hominum quotquot hic *Sol* unquam vidit, in omni fere literarum genere, præſtantiſſimum.

Lectori Christiano.

H. GROTIUS.

SI quis dicat, me quæ in Evangelia scripsi debere aliis, qui in eodem se argumento exercuerunt, is neque penitus mentietur, neque penitus verum dicet. Ego per omnes eos qui scripsere antehac profeciſſe me non diffiteor, quin gaudeo etiam gloriorque. Itaque omnibus me eis gratiam habere puta, quaſi nominaſſem ſingulos. peperci a. plerumque recitandis nominibus, quod ea videam factioſo hoc Seculo magis ad oblimandum quam ad defæcandum judicium valere. Mihi a. cum iſta annotarem captivus, cum perficerem privatus, cum ederem in aliquo jam honore conſtitutus, propoſitum ſemper fuit, non alicui earum ſervire partium, in quas ingenti ſeculi noſtri malo diviſi ſumus Chriſtiani, ſed Chriſtianis plane omnibus; meaque dirigere ad notitiam Evangelicæ veritatis, & incrementum pietatis ejus ad quam omni ſtudio debemus contendere ſi ex tanto nomine cenſeri volumus. Cæterum videbit qui & priorum & hæc noſtra ſcripta cum cura leget, etiam tunc cum aliorum aequor ſententias, nova à me adjungi argumenta quibus eas ſuſtentem; & cum ab aliis abeo, rationes cur id faciam diligenter à me adſcribi. Teſtor a. ſi quid uſquam à me ſcriptum eſt pugnans cnm iis S. Scripturæ ſenſibus quos Eccleſiæ Chriſtianæ à prima ætate acceptas perſeverante conſenſu tenuere (quod repertum non ſatis confido) me id pro non ſcripto habere ac mutare paratiſſimum. 1641.

Editor

Editor Lectori.

Dabo operam, ut selectæ summi viri Annotationes, quas apud me diu premo, in omnes N. T. Libros, nitidiore cultu tandem Deo annuente lucem videant. Gratum opus, ni fallor, iis qui grandes Commentarios non attingunt, & volunt compendio sapere: quales sunt magna studiosorum pars. Interim, fave Lector instituto meo, & specimen hoc ne despice.

Barksdallus tuus.

Daniel Heinsius de H. Grotio.

Depositum Cœli. Quem jure Batavia mater
Horret, & haud credit se peperisse sibi.

NOVUM TESTAMENTUM[a],

Evangelium[b] *ſecundùm Matthæum*[c].

(*a*) TEſtamentum eſt quo quis voluntatem ſuam teſtatam facit. διαθήκη fœderis habet ſignificationem. (*b*) Deſcribitur doctrina Chriſti apud Prophetam duplici nomine, *Pacis* & *Regni Dei*. Hinc eſt quod ab ipſo Chriſto & Apoſtolis crebro vocetur *Evangelium Regni*, Matth. 4. 23. & *Evangelium pacis*, Eph. 2. 17. Eſt εὐαγγέλια de regno ſpirituali Dei in nobis, & de parta remiſſione peccatorum. Ipſa quoque Hiſtoria Evangelii nomen accepit. Latinè hoſce libros *Commentarios de rebus Chriſti* rectè appellaveris. (*c*) Non minus rectè id quod ſcriptum eſt à Matthæo *Evangelium Matthæi* dici poteſt, quam Paulus de doctrina Chriſti à ſe prædicata agens ait Εὐαγγέλιόν μου, Rom. 16. 25. collato loco 1. 9. Veteres pro compertò tradiderunt, ſcripſiſſe Matthæum Hebraicè. De verſionis Gr. auctoritate ac fide dubitare nefas arbitror.

CAP. I.

1. *Liber generationis*] Deſcriptio originis. Non eſt hæc Inſcriptio totius libri, ſed particulæ primæ. Quales ἐπιγραφαὶ περικῶν multæ ſunt in Moſe & Prophetis. *Filii David, filii Abraham.*] Abrahami & Davidis ſpecialiter mentionem facit, ob promiſſa illis facta, Abrahamo de populoſa progenie, Davidi a. de regni ſtabilitate: quorum utrumque in Chriſto impletum eſt.

2. *Judam & fratres ejus*] obiter Matthæus Chriſtum ut cognatum omnibus Iſraelitis commendat.

3. *Et Zaram*] Hoc nomen addidit ad memoriam innovandam illuſtris rei quæ in horum partu evenit, gradus utorus ad credendum partum è virgine.

Editor Lectori.

Dabo operam, ut selectæ summi viri Annotationes, quas apud me diu premo, in omnes N. T. Libros, nitidiore cultu tandem Deo annuente lucem videant. Gratum opus, ni fallor, iis qui grandes Commentarios non attingunt, & volunt compendio sapere: quales sunt magna studiosorum pars. Interim, fave Lector instituto meo, & specimen hoc ne despice.

Barksdallus tuus.

Daniel Heinsius de H. Grotio.

Depositum Cœli. Quem jure Batavia mater
Horret, & haud credit se peperisse sibi.

NOVUM TESTAMENTUM[a],

Evangelium[b] *secundùm Matthæum*[c].

(*a*) TEstamentum est quo quis voluntatem suam testatam facit. Διαθήκη fœderis habet significationem. (*b*) Describitur doctrina Christi apud Prophetam duplici nomine, *Pacis* & *Regni Dei*. Hinc est quod ab ipso Christo & Apostolis crebro vocetur *Evangelium Regni*, Matth. 4. 23. & *Evangelium pacis*, Eph. 2. 17. Est εὐαγγέλιον de regno spirituali Dei in nobis, & de parta remissione peccatorum. Ipsa quoque Historia Evangelii nomen accepit. Latinè hosce libros *Commentarios de rebus Christi* rectè appellaveris. (*c*) Non minus rectè id quod scriptum est à Matthæo *Evangelium Matthæi* dici potest, quam Paulus de doctrina Christi à se prædicata agens ait Εὐαγγέλιόν μου, Rom. 16. 25. collato loco 1. 9. Veteres pro compertò tradiderunt, scripsisse Matthæum Hebraicè. De versionis Gr. auctoritate ac fide dubitare nefas arbitror.

CAP. I.

1. *Liber generationis*] Descriptio originis. Non est hæc Inscriptio totius libri, sed particulæ primæ. Quales ἐπιγραφαὶ περικοπῶν multæ sunt in Mose & Prophetis. *Filii David, filii Abraham.*] Abrahami & Davidis specialiter mentionem facit, ob promissa illis facta, Abrahamo de populosa progenie, Davidi a. de regni stabilitate: quorum utrumque in Christo impletum est.

2. *Judam & fratres ejus*] obiter Matthæus Christum ut cognatum omnibus Israelitis commendat.

3. *Et Zaram*] Hoc nomen addidit ad memoriam innovandam illustris rei quæ in horum partu evenit, gradus eorum ad credendum partum è virgine.

5. *De Rahab*] Hoc ex traditione Judæorum.

6. *David Regem*] Solebant Hæbræi honoris causa Davidem ferme hoc titulo nominare. vide 1 Reg:1. Id secutus videtur Matthæus. *ex ea quæ fuit Uriæ*] Mulieres in hoc censu obiter paucæ nominantur, extraneo ortu aut criminibus nobiles; quarum historia ad vocationem idololatrarum & criminosorum per Christi Evangelium proludit.

11. *Jechoniam & fratres ejus*] omnes calamitate nobiles: neque id ab hoc loco alienum: ne quis miretur regiam stripem Christi ad humiliorem fortunam detrudi. *In transmigratione Babylonis*] Temporis laxior designatio. Vide Luc. 23.

16. *Genuit Joseph*] Fatendum, ejusdem Josephi genus à Matthæo prorsum, à Luca retrorsum censeri. Neque vero aliena à Christo existimanda est origo Josephi, cum natus sit Christus ex ea quam Josephus in matrimonio retinuerit. Quare statuendum, non modo extra tribum, sed ne extra familiam quidem nubere Mariam potuisse quod verissimum est, quando fratres consanguineos nullos habuit. Nam puellæ Israëlitides, quæ fratres non haberent, lege Mosis jubentur nubere agnatis proximis idque definitum exstat, Num. cap. ult. *virum Mariæ*] Maritum atque uxorem etiam ex sponsalibus dici, non Hebræorum tantum, sed & aliorum gentium institutis convenit. *qui vocatur Christus*] Referendum est ad tempus scriptionis: indicat enim de illo Jesu se agere qui jam omnibus Christi cognomento innotuisset. Illum autem Christum eximium se esse Jesus professus est; causamque nominis reddit, tum ipse tum discipuli ipsius, quod ad proferendum confirmandúmque doctrinam cœlestem vi plane incomparabili esset instructus. *Lu.* 4.18. Act. 4.27.

17. *Omnes itaque generationes*] γενεαὶ, *generatæ personæ*. Ita enim loquuntur Jurisconsulti: *Semper generata persona gradum adjicit*. Quod autem personas quasdam omisit Matthæus, factum id est rotundandi numeri causa. Ut enim memoriæ consuleret, primum stemma omne in

trig

tria tempora digessit; quibus dilucidas ἐπιχὰς attribuit, ante regnum, regni florentis, & regni cessantis: rursúmque ternis his ordinibus personas pari numero adscripsit, ut solent qui memoriæ causa imagines locis disponunt.

18. *Antequam convenirent*] Illud constat sponsas intactas fuisse donec convocato cœtu matrimonium solenni ptece initiaretur, quod non tam lege præceptum, quam ab antiquissimis, ut arbitror, patribus traditum, Judæi ut olim ita nunc quoque observant: à quibus ad Christianos id institutum honestatis plenissimum manavit.

19. *Quum esset justus*] h. e. bonus, & misericors, sicut apud Danielem & alibi. Donatus ad illud Terentii Andria: *justa fuerit servitus*: justa inquit, moderata. Chrysost. δίκαιος οὖν ὤν, τοῦτ' ἔστι, χρηστὸς καὶ ἐπιεικής. Præcipuè autem bonitas hæc se extendit, quoties pœnas legibus præscriptas non rigide exigimus. *Traducere*] παραδειγματίσαι, h. e. ut ea exemplo esset: *puniri*, Augustinus. quod de lapidationis pœna, lege Mosis statuta in sponsas stupri compertas, par est intelligi. Nam ad id tempus judicia legis in Judæa per Herodem, qui legis studiosus videri volebat, exercebantur. Josepho omnia benignius interpretandi causam præbuerunt perspecti virginis mores. Deinde, accusatæ & convictæ lex pœnam irrogat, accusationem autem nemini imperat. *Occulte*] non qnidem conscio nemine: id enim fieri non poterat: cum mos esset Judæis non minus quam Romanis, ut nec contraherentur nec dirimerentur sponsalia, nisi adhibitis testibus: Sed *privatim*, i. sine judicio publico, & non reddita causa.

20. *Hæc autem eo cogitante*] cum hæc animo agitaret, ut Act. 9. 19. Videtur enim inclinasse quidem ad repudium Josephi animus, ita tamen ut nihil dum certi constituisset, sed variis super hac re cogitationibus distraheretur. *Ecce Angelus*] Hebræi spiritus istos, qui inter deum rerum opificem hominesque sunt interpositi, modo deos modo angelos vocant: at Hebræi Hellenistæ, de iisdem spiritibus agentes, deos non libenter eos vocarunt; quia id nomen jam passim apud omnes gentes in unius summi atque opificis Dei in-

juriam usurpabatur. In usu apud eos mansit nomen ἄγγελων, quo & LXX. utuntur sæpissimè, & eorum exemplo Novi Fœderis scriptores. *In somnis*] κατ' ὄναρ. Optime vetus Interpres, *in somnis*: ita enim loquitur Ennius & Virgilius, cum de visis nocturnis agunt. Cicero *secundum quietem* dixit. Ferme autem quatuor modis, ut Hebræi rectè notant, solet Deus hominibus voluntatem suam aut res futuras patefacere: visis diurnis, visis secundum quietem, voce, afflatu: Græce ita dixeris, δι' ὁπτασίας, δι' ἐνυπνίων, διὰ φωνῆς, δι' ὀπτασίας.

21. *Jesum*] Nulla Scripturæ differentia distinguitur hoc Christi proprium nomen ab ejus nomine, qui Mosi succedens populúmque ducens in terras promissas, Christum æternæ quietis datorem, non tantum nominis sono, sed & rebus gestis adumbravit, ut videre est, Act. 7. 45. & Heb. 4. 8. *Jesus* Græce σωτὴρ Latine *Sospitator. Salvum faciet populum suum.*] Cum triplici modo dici nos possit Christus à peccatis liberare; primùm, quia remissionem peccatorum nobis peperit; deinde, quia in hac vita efficit ne peccatum in nobis regnet; postremo, quia per vitam alteram delebit funditus, & peccatum & mortem peccati stipendium; mihi tamen ad remissionem peccatorum præcipuè videtur respexisse Angelus, quia & Apostoli ejus rei maximè meminerunt, ubi vocis istius, σωτῆρος & vim explicant, Act. 5. 31. Voce λαῷ, omnes credentes, primo populum Israeliticum intellige: ib.

22. *Ut adimpleretur*] Tota divina οἰκονομία priorum temporum hunc ipsum Christum, ejusque res gestas, perpetuo velut ante oculos habet. In Esaiæ verbis, præter simplicem primoque obvium sensum, inesse mysterium de Christo, Christum agnoscentibus liquido apparet. Nam si omnes liberationes pop. Judaici præsagia fuere ejus liberationis, quam Deus per Christum erat effecturus, sane & illa insignis liberatio ab obsidione hostili quam Prophera promittebat eo pertinuit. Illud autem *virgo concipiet*, quanto excellentiorem habet sensum, si referatur ad eam quæ ita concepit ut virgo post conceptum maneret, quod soli Mariæ

evenit. Nomen autem *Immanuel*, ſicut & *Jeſu*, habere quidem & in aliis ſuam poteſt ſignificationem reſtrictam & limitatam, at in Chriſto aliam habet infinitis partibus perfectiorem. Quod ſi quis recte attendat, eadem vis eſt in voce *Immanuel* & in voce *Jeſu*. Nam *ſervare* eſt Deum nobis præſtare propitium. Deus autem *nobiſcum eſſe* Hebræis dicitur, quoties benignus nos reſpicit atque adjuvat. Veriſſime ergo à Matthæo ſcriptum eſt, in nativitate Chriſti verba Eſaiæ πληρωθῶσι, i. e. *conſummata eſſe*. Vox ἵνα, ut ſæpe, non finem agentis, ſed ſolam rei conſequentiam ſignificat. *Pſ.* 51. 19. *Rom.* 5. 20. *Luc.* 14. 10.

Dictum eſt à Domino] paſſim dicitur Deus id dixiſſe, quod dixerunt prophetæ: primùm, quia ipſam verborum ſententiam Deus menti illorum inſeruit: deinde, quia & verba ita eſt moderatus, ne à ſententia aberrarent.

23. *Ecce virgo*] Fruſtra negant Judaei vocem עלמה, ſi proprietas vocis ſpectetur, viro intactam ſignificare. Nam origo optima proprietatis index, eſt à עלם, quod eſt *abſcondere*. Nimirum, quia Hebræis, non minus quam Græcis, in more poſitum fuit, innuptas puellas diligenter ſervare ἐν τῷ παρθενῶνι. Sen. in Agamem.

Quo more cœtus publicos virgo petit?

Ab hac origine non recedit uſus, ut apparet *Gen.* 24. 43. *Ex.* 2. 8. *Deut.* 22. 23. *Alma* Latinis non *ab alendo* venit, ut quidam exiſtimant, ſed idem valet quod *Sancta*.

25. *Et non cognoſcebat eam*] Antiquiſſima Hebræorum locutio, ut apparet *Gen.* 4. 1. atque alibi: inde porro in caeteras linguas derivata. Neque tantum de viris hoc dicitur, ſed & de fœminis, ut *Luc.* 1. 34. *Donec peperiſſet*] ἕως οὗ. Negationem hanc, de tempore ante partum, nihil affirmare de tempore poſteriore, multis exemplis ab aliis eſt demonſtratum: quibus addam locum qui infra eſt 12. 20. Judæis adeo notum atque uſitatum eſt hoc loquendi genus, ut doctiſſimi inter ipſos vaticinium Jacobi *Gen.* 49. 10. ita conentur interpretari. *Primogenitum*]

nogenitum] Primi vox requirit, ut nemo antecedat, non ut sequatur aliquis. Et similiter in Jure civili *proximus* dicitur etiam qui solus est. Erant autem πρωτοτόκια tria, ut Hebræi notant *Gen.* 49. 2. Principatus, sacerdotium, & prælatio in hæreditate. Quæ omnia in Christo competere, nativitate ipsius indicatum est. De regno agit sæpe Apocalypsis: de regno & sacerdotio scriptor ad Hebræos: de prælatione in hæreditate, vide *Rom.* 8. 17. *Coloss.* 1. 15. *Heb.* 1. 2, 9. *Et vocavit*] Rectius hoc ad Josephum, quam ad Mariam referas. Impletur enim hic quod Angelus supra dixerat 21.

CAP. II.

1. ECce *Magi ab oriente*] Perplacet mihi vetustissima Christianorum sententia, ab Arabia veniisse hos sapientes. Eam enim Judæi, ut sibi ab ortu adsitam, hoc nomine vulgo appellabant, ut videre est *Gen.* 10. 30. *Job.* 1. 3. Et alibi. Et munera quæ attulerunt Arabica sunt, non Persica, ut infra dicemus. Neque veto soli Persarum sapientes Hebræis Græca lingua utentibus *Magi* vocabantur, sed & alii, ut videre est in Græca Danielis Historia. Habuit autem & Arabia antiquitus sapientes suos, tum naturæ omnis tum sacrorum imprimis studiosos: quod nos docent Jobi ejusque amicorum colloquia. Recepta fuit apud Judæos opinio, circa illa tempora instare Messiæ adventum, idque vicinas apud gentes vulgatum. Hæc fama, ex Judæorum vicinia facile Arabiam pervagata, inusitato sideri auctoritatem adstruxit.

2. *Stellam ejus*] Stellas certe ejus modi (cujus sunt generis qui *Cometæ* appellantur) nova portendere, apud omnes fere gentes recepta sententia est. Cæterum qualecunque fuit sidus, motus ille, quo postea narratur Christi hospitium fuisse monstratum, non modo præter naturam fuit, sed etiam circa exemplum: unde Græci angelum potius quam stellam fuisse existimant. *Adorare eum*] προσκυνῆσαι significat procumbentis corporis gestum honoris habendi gratia. Græci assueti libertati

hoc

hoc modo neminem hominem ſalutabant, ut nos docet Herodotus aliique. Orientis populos regibus eum honorem habuiſſe, & ſacra & profana hiſtoria nos docet. Magi igitur, quibus perſuaſum erat huic puero regnum deſtinari, more ſuæ gentis eum venerantur.

4. *Et Scribas*] Doctorum hominum conventus, extra ordinem à rege convocatus. Scribæ adſeſſores erant, delecti plerumque ex Levitica tribu; quæ à publico ſuſtentata, neque domeſticis diſtracta negotiis, ad literarum ſtudia otio abundabat.

6. *Bethlehem terra Juda*] Regionis nomen Bethlehemo additur, quia alterum Bethlehemum erat in Galilæa. *Joſ.* 19. 15. *Nequaquam minima*] Viſum interpreti, verba prophetæ interrogationem continere, quæ more omnium gentium negationi tantundem valeat; hoc modo; *Tune Bethlehem minima ſis in cenſu familiarum tribus Judæ? Imo vero ex te originem ſumturus eſt Meſſias.* Sic & Lat. Interpres legit id quod eſt *Deut.* 9. 2. *Ex te*] Videtur proprie propheta originem Meſſiæ indicare ex familia Bethlehemitica nimirum, ſive Davidica, non numeroſa per ſe, à Babyloniis autem proprer regiam quam obtinuerat dignitatem omnibus modis atterenda. Voluit tamen Deus, delecto ad Chriſti nativitatem hoc oppidulo, pleniſſime præſtare quod propheta dixerat; & ſimul, ex naſcendi loco, originem quoque actis pub. teſtatam facere, ut docemur à *Luc.* 2. 4.

9. *Uſque dum veniens ſtaret*] Deſiit procedere; nec multo poſt, ut credi par eſt, evanuit, ubi Magi ad eum pervenerant locum in quo erat infans Jeſus. Non diſſimile eſt quod Varro ſecundo rerum divinarum ſcripſerat, referente Servio ad primum Æn. *Ex quo de Troja egreſſus eſt Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulterius.*

11. *Et ingreſſi domum*] Credo, Magorum adventum accidiſſe intra ſpatium illud temporis triginta & octo dierum, quod erat puerperis à divina lege præſtitutum. Mo-

vent me verba Lucæ, qui ſtatim poſt τὸ παιδίον puerum cum matre Nazaretam deducit. Peracto autem cenſu copia data paulo laxioris hoſpitii. *Obtulerunt ei munera*] Orientalibus in more poſitum fuit reges cum donis adire, *Gen.* 33. 9. *Pſ.* 72. 10. Attulerunt autem Magi ſuæ regionis præſtantiſſimas dotes, nam myrrha non niſi in Arabia naſcitur; nec thus niſi apud Sabæos Arabum portionem; ſed & aurifera eſt Felix Arabia. His tribus tria illa notantur, quæ nunc, abrogatis veteribus ſacrificiis, Deo per Chriſtum offerimus: opera miſericordiæ, *Phil.* 4. 18. Corporum puritas, *Rom.* 12. 1. et preces, *Pſ.* 141. 2. et Apocal 5. 8.

15. *Ut adimpleretur*] Voluit plane Deus beneficiorum veteris foederis, & eorum quæ Chriſto, & per Chriſtum nobis præſtitit, circumſtantias quaſdam eſſe ſimiles, ut eo magis conſtaret conſilio quodam peculiari iſta diſponi. *Filium meum*] populus Iſraëliticus a Deo peculiariter dilectus Chriſti geſſit imaginem. Vide *Ex.* 4. 21. *Abac.* 3. 13.

16. *A bimatu & infra*] *Intra bimatum*, apud Macrobium in Auguſti dictis. Laniena illa infantum, aut ob raritatem habitantium in eo tractu, aut quia tumultus ſeditioniſve obtentu, diſſimulato regis imperio, fuit peracta; aut denique quod majoribus Herodis ſceleribus obſcuraretur, minus nobilis fuit, quam ut ad Auguſti aures perveniret: quippe cum nec Joſephus ſcriptor tam diligens ejus meminerit. Nota autem hic inpletum in poſteris, quod in majoribus fuit adumbratum. Olim inſidiatus fuerat Eſau Jacobo, nunc Idumæus Chriſto, qui & Jacobus apud prophetas.

18. *Rachel plorans*] Videtur mihi eſſe παρονομασία, frequens poetici ſermonis ornamentum. Eſt autem Rama in Benjaminis portione, Bethlehemum in parte Judæ, Rachelis ſepulchrum in territorio Bethlemitico. Longe lateque clamor exauditus. *Quia non ſunt*] eſſe hic valet idem quod *vivere*, quomodo mortui Latinis *fuiſſe*, i. e. viviſſe dicuntur.

20. *De-*

20. *Defuncti sunt enim*] Non temere est, quod ipsa verba usurpantur quae exstant *Ex.* 4. 16. Id enim solet in sacris literis rei gestae similitudinem denotare. Sane Pharaoni quoque (ut Herodi) causam infanticidii Josephus hanc ait fuisse, quod ex Vaticiniis intellexisset, magnum ducem ex Hebraeis exstiturum.

22. *Quod Archelaus regnaret*] Cum potius futurum speraſſet, ut Judaea in provinciam redigeretur à Romano Imperatore; à quo minus sibi metuebat, quam à minutis regulis, ad omnes suspiciones pavidis, eoque crudelibus. Erat autem etiam fratribus suis truculentior Archelaus.

23. *Quoniam Nazaræus vocabitur*] Dicit Matthaeus: Ita dispositis à Deo rebus, ut Josephus & Maria ab Ægypto reversi Nazaretae larem figerent, hoc actum, ut ex ea habitatione Christo nomen illud adhaereſceret, quo sanctimonia ipsius perfectissima & votum pro nostra salute susceptum notaretur.

CAP. III.

2. *Appropinquavit enim regnum cœlorum*] i. e. Regnum Messiae. Respicitur enim Danielis vaticinium, cujus implementum circa haec tempora etiam à populo exspectabatur. Maxima autem bona Messiae temporibus cum exspectarent Hebraei, satis intelligere poterant, ad ea adipiscenda opus esse amoveri impedimenta, i. e. crimina, quae ipsos indignos tantis beneficiis essent redditura.

3. *Parate viam Domini*] Vide quae dicentur ad Cap. 3. Lucae.

4. *E pilis camelorum*] Habitus haud dubie severior, victus parsimoniae congruens: qualem Catoni suo Lucanus adscribit, *Huic epulæ vicisse famem*, &c. Plane tales erant Hebraeorum Nazaraei, sive temporarii sive perpetui. Fuit autem Joannes Nazaraeus perpetuus: quod nos docet *Lucas* 1. 15. Illud observatu non indignum, factum divina providentia, ut qui veniebat in spiritu Eliae, Eli-

as

as propterea à prophetis nominatus, etiam habitu exteriori Eliam referret. *Vide* 1. *Reg.* 19. 19. *Locusta*] Vide quæ habet Leo Afer *Lib.* 9. De locustarum usu ad cibum.

6. *Et baptizabantur*] Ceremonia hæc nec nova plane fuit, & vocationi gentium prælusit. Cum autem τὸ Βάπτισμα multa designet, quæ passim apud Apostolos videre est; prima tamen ejus instituti ratio proprie spectasse videtur, ut ob signaret propositum ac pollicitationem vitæ emendatioris: quomodo lavacrum hoc describit *Petrus*, 1. 3. 21. Cui consequens deinde fuerit peccatorum remissio. *Confitentes peccata sua*] Accessisse etiam specialem detestationem eorum peccatorum quæ præcipue Deum iritant, ex loco *Act.* 19. 18. intelligi datur. Hoc autem & eos qui Joannem (optimæ fidei hominem, nec sacerdotem tantum, sed prophetam) adibant, fecisse credibile est: tum ut precibus ipsius apud Deum juvarentur, *Jac.* 5. 16. tum ut instruerentur consilio ad speciales circumstantias accommodato, *Luc.* 3. 12. Vide *Levit.* 5. 5. *Num.* 5. 7.

7. *Progenies viperarum*] Et in proverbio est, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Viperæ venenum in lingua, pellis speciosa.

8. *Facile fructum*] Idem est quod *Act.* 26. 20. Et passim opera fructuum nomine appellantur.

9. *De lapidibus istis*] Figuratum loquendi genus: quanquam divinæ potentiæ mensuram non excedens. Simile est *Luc.* 19. 40. *Lapides clamabunt.* Nec absurdum utroque loco gentes extraneas obscure indicatas intelligere. Nam ab his non magis quam à lapidibus fidem ac pietatem Iudæi exspectabant. Et solent sacræ literæ lapidibus comparare eos qui lapides colunt. *Suscitare filios Abrahæ*] Credentes omnes Abrahamo inseruntur, fiuntque non quidem *filii carnis*, sed *filii promissionis*. *Rom.* 9. 8. passim Baptista, Christus, Apostoli dant operam, ut Iudæis adimant superbiam, & spem impunitatis de parentum sanctitate conceptam: quod illis fuit maximum bonæ mentis impedimentum.

10. *Se-*

10. *Securis ad radicem*] Iam Deus vobis, ni resipiscatis, non levia mala minatur, sed federis sui derelictionem: quod est velut arborem radicitus exscindere.

11. *In pœnitentiam*] Potest non incommode exponi hoc modo: Baptizo vos super professione penitentiæ quam facitis. *Post me venturus*] Is qui paulo post me munus suum auspicabitur. Id in Voce ἔρχεσθαι significant sancti scriptores. *Calceamenta portare*] Ministerium vilissimis sc. Servis mandari solitum. Apud Terent. *Accurrunt servi, soccos detrahunt.* Ideo & David ait, *Idumæo se objecturum soleas*, *Ps.* 108. 10. nimirum ut exutas auferat. *In Spiritu sancto & igni*] Marcus & Ioannes dixerunt simpliciter *baptizare spiritu*: ut appareat *igni* adjectum ἐξηγητικῶς. Nimirum quia ut aëris, ita ignis subtilissima atque efficacissima natura vim illam divinam, quam in se credentibus Christus erat collaturus (τὸ σφοδρὸν τῆς χάριτος, ut hic loquitur Chrysostomus) optime exprimit. Unde & linguæ super Apostolos missæ, cum venti sono, ignis speciem prætulerunt, *Act.* 2. 3. Vide vaticinium *Esa.* 4. 4, 5.

12. *Cujus ventilabrum in manu sua*] Sicut posteriora hujus commatis verba de colligendis frugibus & comburendis paleis ad ultimi judicii diem pertinent: *Vide* 13. 30. Ita priora ad ipsam verbi annuntiati naturam non incommode possunt referri. Cujus tanta est puritas, ut magna ex parte etiam in hoc ævo, præsertim quoties crux accedit, probos ab improbis segreget. Sed & in singulis hominibus similis quædam purgatio instituenda.

15. *Decet nos implere omnem justitiam*] Vox hæc, hoc quidem loco, latissime sumitur; ita ut significet, non modo τὸ νόμιμον, sed & quicquid ullam aequi atque honesti habet rationem. Ita δίκαιον sumitur & *Philip.* 1. 7. Cum Christus perfectissimae innocentiae exemplar fuerit, ne in ipso quidem inanis erat ceremonia quae innocentiae propositum obsignabat. Neque efficacius ostendi potuit, quantus honos institutis à Deo ritibus deberetur, quam si Christus ipse usum eorum nobis exemplo suo commendaret.

Prae-

Praeterea, ipse per hanc caeremoniam, quae nos populo Dei inserit, eidem populo velut concorporatus est; certosque suo exemplo fecit omnes, qui ut oportet baptizantur, apertae ipsis regiae caelestis, consequendi spiritus & juris filiorum Dei.

16. *Confestim ascendit*] Vix ascenderat. Non enim vult subito ascendisse Christum ex amne, sed ut ascenderat subito factum quod sequitur. In hunc ferme modum εὐθέως utitur Marcus 1. 29. *Ecce aperti sunt cæli*] Id velut solenne signum praeuium ταῖς ὀπτασίαις, *Act.* 7. 56. Livius *Lib.* 32. *Cælum findi visum velut magno hiatu, quaque patuerit ingens lumen effulsisse. Sicut columbam*] Plane credo columbae speciem apparuisse, igneam forte, quomodo linguae igneae visae sunt supra Apostolos. Columbae autem speciem huc pertinuisse puto, quod is qui in Christo erat spiritus speciali mansuetudinis nota jam olim descriptus esset ab *Esaia*, 42. 1, 2, 3. Notum est proverbium περιστερὰ περιστερᾶς. *Infra* 10. 11. Philo ex Hebraeorum disciplina per *columbam* significari ait *Sapientiam*. Negare tamen nolim tacite respici veterem figuram columbae, quae post diluvium signa renovati orbis ad Noam pertulit.

17. *Dilectus*] ἀγαπητός. Quod apud Esaiam est ἐκλεκτός. Vide *P.* 2. Est idem plane sensus in his verbis, qui in illis Esaiae loco citato.

CAP. IV.

1. *IN desertum*] Erat quidem Ioannes in loco deserto, sed Christus in horridiorem solitudinem actus est, in qua ferae degebant (ut apud Marcum est) ad complementum veteris figurae. Nam & populus Israël per solitudinem ductus. *à Spiritu*] ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Articulo isto significatur relatio ad id quod proxime antecessit. Vide *Luc.* 4. 1. Discimus autem in hoc Christi exemplo, statim post baptismum, i. vitae sincerae professionem, imminere tentamenta. *Ecclus.* 2. 1. *à Diabolo*] Vox

Vox διαβολος ab Helleniſtis reperta, qua vim vocis Hebræae *Satan* exprimerent. Generalis enim *adverſarii* ſignificatio, nulli magis, quam calumnioſo accuſatori convenit.

2. *Et quum jejunaſſet*] Preces accendit jejunium. Ideo Chriſtus, cujus omnis actio noſtrae ſerviebat inſtitutioni, functionem mandati ſibi muneris jejunio initiabat. Imitati hoc ſunt Chriſtiani veteres, ut apparet *Act.* 13.

3. *Quadraginta diebus*] Solenne jejunii tempus, ut ex Moſis & Eliæ Hiſtoria apparet: quo multi pertinere putant dies 40 Ninevitis ad pœnitentiam datos: unde mos ad Chriſtianos videtur derivatus.

3. *Et accedens tentator*] *Vide.* 1. *Theſſ.* 3. 5. Eſt autem πειραζειν, ut *explorare* latine, vox media, ſed pro circumſtantiis modo in bonam, modo in malam partem ſumitur. in malam quoque non uno modo. Nam eſt illicere ad peccandum, ut hic; aut calumniam ſtruere; aut etiam iritando patientiæ periculum facere. *Dic, ut Lapides iſti*] Si te Deo carum eſſe confidis, compella Deum, ut hi lapides panes fiant tua cauſa. Tentatio omnis diaboli ad peccatum tendit: peccant autem, qui non generaliter Dei auxilium implorant, ſed & modum ei præſcribunt.

4. *Non in ſolo pane*] Ipſa Dei verba, *Deut.* 8. unde hæc Chriſtus promſit, eo tendunt, ut ad legis obedientiam animarentur Hebræi, cum certa ſpe Deum quæ neceſſaria eſſent ipſis ſuppeditaturum, ſive naturæ miniſterio, ſive inſolitis atque admirandis rationibus.

5. *In ſanctam civitatem*] Ita Matthæus Hebræis ſcribens urbem Hieroſolyma appellavit, & infra 27. 53. Sicut & Ioannes in Apocalypſi, nimirum ex receptiſſima conſuetudine: Et Chriſtus ipſe eam vocat *urbem magni regis*, Dei nimirum, 5. 35.

6. *Ne forte offendas ad lapidem*] Significat pſalmographus Deum peculiari cura ſibi dilectos proſequi, ita ut Angelorum miniſterio ipſos à malis fortuitis ſervet. Palam eſt *fortuita* hoc loco dici ea, quæ contingere ſolent aut inſciis

ſciis aut invitis. Cavillatur igitur ſuo more ſpiritus mendax, cum hoc transferre vult ad mala ſponte quæſita. *In lapidem impingere*] προσκοπὴν locutio ad damni cujuſvis ſignificationem.

7. *Non tentabis Dominum*] ἐκπειράζειν hic eſt Dei potentiam aut providentiam velle amplius experiri, cum ſatis magna jam ejus documenta apparuerint. Sic *Act* 15. 10.

8. *Et oſtendit ei*] Nimirum quaſi in pictura ponens omnem qui uſquam eſſet regiæ fortunæ apparatum.

9. *Si cadens adoraveris me*] *Proſtratus.* Deum eo modo venerabantur Judæi, cæterique Orientis populi, quin & Græci. Cum autem ipſum illud externæ reverentiæ ſignum divini cultus proprium non fuerit, quoties extra divinum cultum uſurpatum eſt rectene id an ſecus fieret, ex ſenſu tum exigentis tum præſtantis erit æſtimandum.

10. *Vade ſatana*] Latine dixeris, *Faceſſe hinc.* Eſt enim averſantis dictio. *Dominum Deum tuum adorabis*] In Hebræo eſt תירא quod internam reverentiam ſignificat, quomodo & προσκυνεῖν ſæpe uſurpatur. Recte autem ab interna reverentia ad ſignum ejus externum procedit argumentatio. Volebat autem Diabolus honorem ſibi exhiberi tanquam plenam poteſtatem habenti in regna omnia, quod eſt unius Dei. Multum ab hac Chriſti pietate abfuit Rab. Iuda, qui in libro Chaſidim ait: *ſiquis diabolum videat, ſibique ab ipſo metuat, procidat coram eo. Et illi ſoli ſervies*] In Hebræo eſt תעבד quæ vox etiam debebita aut exhibita hominibus ſubjectione uſurpatur. At hic quid ſignificet, oſtendunt præcedentia ac ſubſequentia; præcipue vero addita juris jurandi mentio, *Deut.* 6. 13. Græcam quoque vocem λατρείαν, neque ſui origine, neque uſu eorum quos optimos Græci ſermonis autores habemus, propriam eſſe divino cultui, recte eſt ab aliis demonſtratum. Quin & Lxx, quanquam rarius, aliquot tamen locis λατρεύειν latius uſurpant. Sed plerunque λατρεία ipſis eſt עבודה cultus qui conſpicuis ſignis Deo exhibetur.

11. *Tunc*

11. *Tunc reliquit eum diabolus*] Tergemina tentatione, ut olim primorum parentum, diuque humani generis victor; ita nunc victus à Chriſto, & à Chriſtianis vincendus, 1. *Jo.* 5. 18. Tentationes autem iſtæ ſunt ab egeſtate, à confidentia prædeſtinationis, & à ſpe ſplendoris humani.

12 *In Galilæam*] Intellige Galilæam non Herodis (cujus ſævitiam certo conſilio, & non ſui, ſed hominum quibus profuturus venerat, reſpectu vitabat) ſed Philippi: *Joſeph.* 18. 3. Erat autem Philippus ingenii minime ſanguinarii.

14. *Per Eſaiam*] Plane videntur Eſaiae verba directe agere de liberatione aliqua, quae propius illa tempora contigerit; ita tamen ut ſubeſſet ἀναλογία temporum Chriſti.

15. *Galilæa gentium*] i. Convenarum. Nam tractus iſte non unius nationis hominibus, ſed undique collectis, ob adjacentis maris commoda, habitatus, nomen habuit; non ex Solomonis cum Hiromo pactione, ut quidam exiſtimant, ſed ab antiquiſſimis temporibus. Vide *Gen.* 14. 1.

19. *Piſcatores hominum*] Simili modo ἀνθρωποθηρείαν dixit Plato τέχνην τὴν ἀνθρώπων οἰκειωτικήν. Vid *Ezech.* 47. 10.

23. *Docens in ſynagogis eorum*] Vox hæc συναγωγὴ ſignificat omnem hominum cœtum, qui ex inſtituto eſt, ſive judiciorum, ſive publici conſilii, ſive rerum ſacrarum gratia. Deinde vero cœpit & ad loca tranferri, in quibus iſti conventus habebantur. *Luc.* 7. 5. Hic ſive cœtum ſive locum in quo lex divina exponi ſolebat, intelligas, nihil refert. Ne Chriſtianos quidem ab hoc vocabulo ab horruiſſe apparet, *Jac.* 2. 2. Neque mirari debemus, ſi Chriſto permiſſum eſt in ſynagogis verba ad populum facere. Solebat enim ab Archiſynagogis is honos deferri viris gravibus & non ineruditis, *Act.* 13. 15. Manſit is mos aliquam diu in Eccleſia Chriſtiana, ut conceſſu Epiſcoporum ſcripturas interpretarentur, non presbyteri tantum

tum aut diaconi, sed & οἱ χειροτονίας ὑπὸ πτωχοὺς. Vide Eusebium de Origene.

24. *Daemoniacos*] Apud Græcos media est vox δαίμων, & quidem, ut arbitror, initio in partem meliorem usurpata. Sicut autem Hebræistæ Judæi deum noluerant appellare בעל, quod ea vox à profanis gentibus esset occupata, alioqui nihil aliud quam *dominum* significans: ita & Hellenistæ Angelos lucis noluerunt appellare *Daemonum* vocábulo, sed in detestationem paganicæ superstitionis nomen id proprium esse voluerunt spiritibus noxiis; quos Græci discriminis causa κακοδαίμονας, veteres Latini *Vejoves* appellarunt. δαιμονιζομένους esse apparet non quovis modo insanientes, sed impurorum spirituum vi majore correptos atque agitatos: quales erant quos Græci νυμφολήπτους, latini *larvatos*, ceritos, lymphaticos vocabant. Cum hoc enim malo conflictantium copiam exhibuit, non Christi tantum Apostolorumque sed & serior ætas; ut videre est apud Origenem, Tertullianum, Cyprianum. *Et Lunaticos*] Quanquam Græci morbo caduco laborantes σεληνιαζομένους interdum vocant, videtur tamen hic malum gravius, & à naturalibus causis remotius indicari, cui tamen adsit ἐπιληψις. *Et paralyticos*] *Sideratos.* Plautus: *sideratus est, moveri non potest.* Tralatio ducta est ab arboribus, quæ caniculari sidere tactae exarescunt. Celsus παράλυσιν transfert *nervorum resolutionem.*

CAP. V.

1. [*N montem*] Sicut lex vetus de monte erat propagata, ita & novam Christus in monte proposuit. *Discipuli ejus*] non duodecim & septuaginta solum, sed omnes qui doctrinam ejus sectabantur. Præcepta propria sequentur *Cap.* 10.

3. *Beati pauperes spiritu*] Bonæ mentis soror est paupertas. plerumque res opimae & secundæ fomenta sunt viciorum. pauperes *spiritu* sunt hi, qui non fortuna tantum,

tum, sed & animo sunt pauperes: sicut infra *puris corde*, qui non operibus tantum, sed & animo sunt innocentes. *regnum cælorum*] Talibus enim solent contingere divitiæ cælestes, cognitio veritatis, remissio peccatorum, donum Spiritus, & quæ aliæ regni istius nomine veniunt.

4. *Beati mites*] qui alios placide ferunt, & blande instituunt. *Possidebunt terram*] Ad res tuendas multum valet hæc virtus.

5. *Beati qui lugent*] lugentes intellige cum sua qualitate, i. qui mala ab hominibus aut à Deo inflicta patienter ferunt. *Gaudet patientia duris.* Dictum Plinii, *Optimum nos esse dum infimi sumus. Consolabantur*] hæc pro parte, plene in posterum. 2 *Cor.* 1. 4.

6. *Esitiunt justitiam*] *Fames* & *sitis*, translatione usitata, vehementem quandam appetitionem significant. *Justitia* doctrinam ejus obedientiæ quam à nobis exigit Deus. *Saturabuntur*] Hebræi legem cibum animæ vocant, & Christus Evangelium suum modo panis modo aquæ nomine appellat.

7. *Misericordiam consequentur*] Est quidem & in usu humano verum illud Publii,

Bona comparat præsidia misericordia.

8. *Mundo corde* [qui à fuco omni & fallaciis absunt, quos *sinceros* vocant Latini: *integros vitæ scelerisque puros*: quos scriptores Latini etiam *Sanctos* & *castos* vocant. Christus exigit etiam *animi* innocentiam: Illo enim sensore, *qui deliberant desciverunt. Deum violabunt*] suissimam sc. mentem. 1 *Jo.* 3. 2, 3.

9. *Beati pacifici*] εἰρηνοποιοὶ proprie vocantur *pacificatores*, qui aliis dissidentibus medios se interponunt: at Hebræa vox *pacisstudiosos* significat.

10. *Propter justitiam*] i. obedientiam divinorum mandatorum. *Regnum cælorum*] i. gloria cælestis, nam in seq. mercedis cælestis expressa est mentio.

12. *Prophetas*] Vide *Nehem.* 9. *Act.* 7. nimirum ita fit: *Veritas odium parit*: præsertim ea quæ ad mores emendandos

mendandos pertinet. Hoc si Heraclito, si Democrito, si Socrati evenit, tantillum facem allucentibus, quanto magis Christi discipulis exspectandum est?

13. *Vos estis sal terræ*] Salis præcipua vis est adversus putredinem: neque alia de causa ἅλα θεῖον dixit Homerus. Hinc sapientia *Sal* dici cæpit: *Qui habet salem qui in te est:* Terent. eodem respicit Paulus, *Col.* 4. 6. Livius Græciam *Sal gentium* vocat. Ostendit ergo Christus, officii esse eorum qui veræ sapientiæ præcepta hausissent, aliorum sordes expurgare. *In quo salietur*] simile est huic proverbio illud Græcis usitatum; ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, ἐπιπίνειν τί δεῖ.

14. *Non potest abscondi*] Vult Christus auditorum suorum integritatem non minus esse conspicuam, quam solent esse urbes quæ in montis vertice sunt collocata: qualis erat Hierosolyma, Ecclesiæ figura.

15. *Ut luceat*] καὶ λάμπει, Hebraismus, pro ἵνα λάμπῃ, recte notatus à vetere Latino Interprete.

16. *Patrem vestrum*] Respexit Christus ad amorem peculiarem vereque paternum, quo pietatis studiosos Deus prosequitur. Senec. *vir bonus vera dei progenies*, lib. de provid. *qui in cælis est*] Sicut in illa regione majestas Dei singulari & eximio modo apparet; ita & olim in ea regione summa ab ipso præmia exspectamus.

17. *Non veni solvere sed adimplere*] Illa quæ in lege sunt, ut Justinus loquitur, φύσει καλὰ, *naturalia legis*, ut loquitur Irenæus, perfecit Christus, explicans ea clarius, quam ante unquam explicata fuerant; & præceptis quibusdam exactioribus muniens; & in eorum obsequium animos redigens promissorum magnitudine & certitudine, Spiritusque sui obsignatione. Ritus autem implevit & consummavit Christus, id exhibendo cujus causa ritus erant reperti, quod ritus ipsi figurabant. Delevit eosdem eo ipso implemento, non tollendo legis vinculum, sed causam subtrahendo propter quam lex

ea

ea nata erat; & cui morienti, ex primævo decreto, lex erat commoritura.

18. *Amen*] Vox hæc Hebræa (idem valens quod Græcum ναὶ, ἀληθῶς, γένοιτο) ut valde efficax, etiam in Græca lingua ab Helleniſtis Judæis ſervata eſt: quos ſecuti Chriſtiani, non in libris duntaxat, ſed in uſu quoque populari eam retinuerunt, ut videre eſt 1 *Cor.* 14. 16. *Donec tranſeat cælum*] παροιμιῶδες, *uſque dum cælum ruat.* Lucas effert hunc in modum. *Facilius ſit cælum & terram perire.* Sic Eſaias, *prius montes &c.* 54. 10. *iota unum aut unus apex*] παροιμιῶδες & hoc. *Iod* littera minus ſpatium occupat quam cæteræ. *Apices* literarum, ipſos literarum ductus aut partes dixit Gellius; & hinc nata tranſlatio, *De Juris apicibus diſputare.*

19. *Unum de mandatis iſtis minimis*] Si quis vel id contemſerit quod minimum eſt in his præceptionibus, Diſcant hinc Chriſtiani, nullum eſſe in his Chriſti ſermonibus præceptum tam leve, quod ſine ſalutis detrimento liceat aſpernari. *Et docuerit*] Senſus eſt, qui contrafecerit; quive contrafacere docuerit, minimi erit pretii, tunc cum regni cæleſtis conſummatio advenerit. *Fecerit & docuerit*] Chriſtianorum omnium eſt, non modo exemplo præire aliis, ſed & alios verbo Commonefacere.

20. *Niſi abundaverit*] Illud περισσεύσῃ πλεῖον, Latine uno verbo vertere poſſis, *ſuperaverit. juſtitia*] obedientia, ut ſupra. *Scribarum & Phariſæorum*] Legiſperitos, Chriſtus nominat, ut Judæorum eruditiſſimos; Phariſæos, ut peculiaris ſanctimoniæ fama nobiles: vide *Act.* 26. 5. Hinc autem intelligi datur, quam neceſſaria eſſet novæ hujus Doctrinæ promulgatio; cum qui ſapientiſſimi ac religioſiſſimi inter Judæos habebantur, tum ſapientia tum à religione tam longe aberrarent; ipſique filii Levi, aliorum purgatores, purgandi eſſent. *Mat.* 3. 3. *in regnum cælorum*] de præmiis æternis accipe: primum, quia ferme ubicunque in his libris invenitur regnum

num cæleſte junctum intrandi verbo, gloria illa cæleſtis intelligitur. *Mat.* 7. 21. *Mar.* 10. 23. *Luc.* 18. 24. *Jo.* 3. 5. Deinde, quia in ipſius ſermonis continuatione, Chriſtus τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν oppoſuit *Gehennæ*: ut palam videre eſt apud *Marc.* 9. 47. Chryſoſt. *Legens legem, legens prophetas, legens pſalterium, nunquam regnum cælorum audivi, niſi in Evangelio.*

22 *Dictum eſt antiquis: Ego autem dico.*] Evidens eſt oppoſitio. Senſus eſt: Majoribus quidem veſtris iſta dicta ſunt, quæ illi, ut erant σαρκικοὶ, non niſi σαρκικῶς interpretabantur: At ego, qui colligere volo populum ſpiritualem, ſicut clare & ſine involucris præmia vobis propono ſpiritualia, & pœnam quæ non ſit hujus vitæ contumacibus denuntio; ita etiam aperte atque explicate vobis dictabo præcepta, quorum vim potiſſimam in ipſo ſpiritu conſiſtere minime obſcurum ſit. *Qui iraſcitur fratri*] i. alteri cuivis. Quia ex ira atque convitiis naſci ſolent homicidia (ut Ariſtot. ὁ θυμὸς πάσης φόνων ἀρχή ἐστιν) ideo iram ejuſque propagines ad præceptum de homicidio refert. Legiſperiti, inquit, ea tantum pro delictis habent, quæ ſolent legitimis pœnis coerceri; ideoque ab homicidio abſterrent homines, quia homicidas gladio feriri lex imperat: At ego etiam iracundiam volo caveatis, certo perſuaſi, ei quoque propoſitam eſſe pœnam, in ſeculo altero non minus gravem, quam ea eſt quam hic homicidæ ſuſtinent. Quod ſi quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, is pœnam iſta graviorem feret; qualis eſt pœna lapidationis. Aut etiam ſi atrocior fuerit maledicentia, exquiſitiores cruciatus ſentiet; quales eſſe illorum ſolent, qui in valle Hinnomi lentis ignibus uſtulantur. *Raca* ſignificationem habet κενὸν, quod & Latinis in convitio, ut *Senex vaniſſime.* Primi illi motus, quos Philoſophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invaleſcant, diligenti attentione atque exercitatione, ante omnia vero dei ſpiritu obtineri ſolet. Sicut autem hic, graviora futuri ſeculi ſupplicia Gehennæ ignibus Comparantur; ita alibi, comparatione

one in consuetudinem migrante, hoc ipso nomine pœnæ ævi alterius significantur.

23. *Itaque si offers munus*] Duo nos docet: primum quanquam vera in Deum religio cæteris officiis præstat, id tamen non protendendum ad rituum observationem. Charitatis enim benevolæ officia rituali curæ antevertenda. 9. 13. Deinde, ne placere quidem Deo sacra, quantumvis sumtuosa aut operosa, quæ animo celebrantur, aut ira aut odio æstuante.

24. *Prius reconciliare fratri*] Ut hîc eum qui læsit ad quærendam pacem Christus excitat; ita apud Marcum, 11. 29. eum qui læsus est monet, ne difficilem se præbeat ad condonandam injuriam: quod dilucide explicat Paulus, *Coloss.* 3. 13.

25. *Cito*] Inter homines benignioribus conditionibus depacisci tur qui cedit in tempore: at, qui pertinaciter judicio contendit, is in solidum condemnatur & sine gratia cogitur judicatum facere. Sic & apud Deum, in quem præcipue delinquunt, etiam quorum injuria directe hominem alterum petit, matura pœnitentia veniam impetrat, dilata severitatem provocat.

27. *Non mœchaberis*] In Decalogo non omnia delicta, ne ea quidem quæ lege civili puniuntur, comprehensa sunt; sed ea duntaxat, quæ in quoque genere summam habent atrocitatem: neque enim vulnerationis fit mentio, sed homicidii; neque omnis lucri cum jactura alterius, sed furti; neque omnis perfidiæ, sed falsi testimonii. Ita hîc servanda videtur vocis proprietas, quæ solet μοιχείαν ἀπὸ τῆς πορνείας discernere, ut apparet infra, 19. 9. Abenezra putat latius protendendam significationem ad omnem venerem non conjugalem.

28. *Ad concupiscendam eam*] Hoc est proprie quod dicit *Job*, 31. 7. *si animus oculos est insecutus*. Hebræi posteriores id vocant, pascere oculos illicito spectaculo: ὁρᾶν ἀκολάστως, Chrysostomus. Apparet ergo a Christo eum hîc notari, qui impuro amori animum mancipans, vulnus suum fovet a pectu. Afrahius: *Amabit sapiens, cupient*

cupient cæteri. In corde suo.] Homines, qui de animo nisi ex signis exterioribus judicare non possunt, delicti nomen actui ultimo imponunt: apud Deum mentium exploratorem, qui voluit scelus is fecit, Lactantius dixit adulteram fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit.

29. *Quod si oculus tuus*] Deberes, si aliter te servare non posses, vel oculum tibi eruere: at mihi satis est, si eum à vultu illecebroso avertas, Manum deberes tibi præcidere: ego nihil amplius postulo, quam ut eam arceas ab impudicis contrectationibus. Non dissimile est dictum apud Senecam: *Projice quæcunque cor tuum laniant; quæ, si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.* Summa hujus præcepti est, vitanda pravarum cupiditatum alimenta. Cupiditas enim actum parturiens, si eum eniti prohibeatur, abortum faciens, ipsa quoque interit.

30. *Scandalizat te*] σκάνδαλον per translationem designat omne id quod exitii causam præbet. Id ipsum *offensam* dixit Seneca: per hujus modi, inquit, offensas emetiendum est confragosum hoc iter. *Projice*] quo verbo Latini quoque rei contemtum indicant.

31. *Uxorem suam*] nam maritis id jus concessum, non vicissim mulieribus, ut apud Romanos. Differentia autem hæc originem habuit ex jure maritali.

32. *Ego autem dico*] sensus est: Lex Mosis, ne quid gravius eveniret, tibi de uxore judicium indulsit: Tu vide, ut tanta potestate humane uteris, certus nulla Deo placere divortia, nisi quæ summa necessitas extorsit. In expositione sententiarum Bensyræ legitur: *Si quis uxorem habeat morosam, & eam non repudiet, cum non venire in judicium.* i. ea patientia Deum obtinere propitium. *Facit eam mœchari*] etiamsi forte eveniret, ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non stetit, quo minus res pessime verteret, merito illi quod fieri potuit pro facto imputatur. *qui dimissam duxerit adulterat*] Intelligendum videtur de iis, qui alienis uxoribus

oribus inhiantes, per divortia sibi nuptiis sternebant viam.

33. *Non perjurabis*] proprie ac primario vetatur omnis disconvenientia aut animi aut facti cum jurejurando. Syrus vertit, *non mentieris in jurejurando*. Unde apparet non satis certam esse eorum sententiam, qui decalogi verbis directe putant vetari juramenta ob causas non satis graves: nam, ut modo dixi, decalogus summa peccata nominat, cætera ex mente auctoris vult colligi. *Reddes Domino*] Verba prope eadem extant *Num.* 30. 2. Deo autem persolvi dicitur id quod juratum est, quia etiam qui homini aliquid promittit, Deum testem & perfidiæ ultorem invocans, Simul Deo se obligat.

34. *Neque per cœlum*] Causa hujus dicti non dubie hæc est, quod Judæorum magistri probatiores ita absterrent homines a facilitate jurandi, ut id tamen vellent ad eas duntaxat formulas pertinere, quibus directe Deus nominaretur: at quo minus in usu quotidiano per res minores juraretur, non intercedebant, At optimus veri magister ostendit hæc misera esse mali moris præsidia, hoc usus argumento, quod illæ etiam formulæ per res alias, tacite tamen ad Deum referrentur: quod deinde singulatim explicat.

37. *A malo est*] Intelligo hic τὸ πονηρὸν, morem non standi promissis, nam mos jurandi ex eo maxime est frequentatus, ex quo labari cœpit dictorum fides.

38. *Oculum pro oculo*] Jus vetustissimum apud omnes prope gentes. Apparet autem ex lege Mosis, præcipue ex verbis quæ sunt *Deut.* 19. 21. non exactam talionem nisi Judicis decreto.

39. *Non resistere malo*] Ei qui injuriam fecit. Paulus hoc præceptum explicat, *Rom.* 12. 17. Aristoteles passim τὸ ἀμύνειν ponit in virtutis parte. Cicero: *Justitiæ primum munus est, ut ne cui noceas, nisi lacessitus injuria. O quam simplicem veramque sententiam* (inquit Lactantius) *duorum verborum adjectione corrupit!* Plato autem in Critone, οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν. *Et alteram*]

Multo ait potius esse, ut altera injuria accipiatur, quam ut sumatur ultio: & Plato dixit, non referendam esse injuriam, ἔστι δεῖ ἡμᾶς ἔτι τὴν δὲ χαλεπώτερα πάσχειν. *Maxillam obvertere cædenti*, Proverb. pro eo quod est patienter aliquid ferre.

40. *Dimitte illi & pallium*] potius quam illi noceas, aut odium ejus animo concipias. Et hoc est quod Lucas dixit, μὴ κωλύσῃς. Nam κωλύειν ibi est, non verbis Captorem commonefacere, aut etiam quod suum est retinere, sed à nocendo absterrere aut abspellere. Certe si spectentur quæ plerumque litibus solent accedere, animus exulceratus, vafræ artes, sine fine ampliatio, impendia, avocatio à negotiis melioribus, odia denique; non dubium est, quin vir bonus & prudens multo si posset libentius sit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pactione tot molestias redemturus.

41. *Duo*] Duplum operæ quod exigitur præstare nos satius est, quam ultionem exigere. Nihil autem hæc obstant, quo minus placidis atque sedatis rationibus jugum grave à nobis arceamus.

42. *Qui autem petit à te dà ei*] Aliam morum partem Christus ordinat, eam sc. quæ ad beneficia pertinet. Ab his igitur beneficiis, quæ non tam homini præstantur quam humanitati, neminem vult Christus excludi. Quod haud dubie ex æqui bonique regula intelligendum est: quatenus & nostræ facultates ferunt, & ipsorum necessitas postulat.

44. *Diligite inimicos vestros*] Judæi, quod in popupulos definitos à Deo constitutum est, aliovorsum traxere. Οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ, veteres Sapientes dicere solitos, ait Hierocles. Huc Christus Judæos retrahens præcipit aliquid maius lege civili Judaica. Neque tamen quod Christus docuit, cum lege Mosis pugnabat; imo & apud Mosem juris istius perpetui non obscura exstabant vestigia. Nam eo jure vixerant Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus, homines de merendis hominibus nati; qui omnem beneficii collocandi occasionem ponebant in

lucro,

lucro. Quanquam illorum temporum dilectio non talis ac tanta erat, quantam Christus præcepit, & exemplo suo monstravit. Neque sane ulla potest esse præclarior victoria, quam si cum ab altero cœperit injuria, à nobis beneficium incipiat. *Et orate*] Quod olim Moses fecit, postea Christus, ejusque exemplo Stephanus, Paulus, alii. Narrant Hebræi, inter Hasidæorum instituta fuisse, ita precari Deum: *Remitte, & condona omnibus qui vexant nos.* Hi Hasidæi iidem qui aliis Esseni, potissima sementis Christianorum in Judæa.

45. *Qui solem suum*] Seneca ad rem eandem eodem utitur argumento, *Sceleratis*, inquiens, *& Sol exoritur*: & alibi, *Quam multi indigni luce sunt, & tamen dies oritur.* Sensum hunc Hieroc'es non male expressit, de viro bono in hunc modum loquens: μιμούμενος ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέρεσι τὸν θεόν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τοὺς δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀπάζεται. *Et pluit*] Mos antiquissimus omnium prope gentium, naturæ effectus referre ad naturæ auctorem. Ita Romani veteres, *Jove tonante, Jove fulgurante*, dicebant: nec aliud intelligitur, cum κατ' ἔλλειψιν dicimus, *pluit, tonat. Et injustos*] Restricte igitur intelligendum, quod dicit scriptor Sap. c. 12. μὴ δῷς ἀσεβεῖ, ut sensus sit: aut, si tale sit liberalitatis genus, quod in multos spargi nequeat, ut tum præferatur vir melior: aut etiam, ne quid malis detur, quo instructior sit eorum malitia.

46. *Quam mercedem habetis*] nimirum, apud Deum: nam apud homines habent ista mercedem. *Nonne & publicani*] Talium enim est ista sententia, μισοῦντα μισεῖ καὶ φιλοῦντ' ἐπιφιλεῖ, & quæ sunt ad eam normam.

47. *Et si salutaveritis*] Recte & Syrus, de blanda compellatione: qualis est ista, *Ut vales? Rectène omnia?* Hæc autem officia Judæi solis fratribus, i. e. Judæis præstabant, cæteros indignos habentes qnos salutarent. Quod Christiana disciplina adversus eos solos observavit, qui Christum professi, ab eo postea defecerant 2. *Joh.* 10.

28. *Perfecti*

48. *Perfecti sicut & pater vester*] Quod hic est τέλειοι, Lucas exponit οἰκτίρμονες *benefici*. In Dei imitatione summam hominis felicitatem esse positam, quidam etiam Philosophorum viderunt. Hanc autem imitationem Pythagorei peculiariter etiam spectari volebant in beneficentia erga homines quosvis. Ita & Paulus Christianos omnes vult esse τελείους, 1 *Cor.* 14. 20. & imitatores Dei, *Eph.* 5. 1. Sed Justinus in dialogo cum Tryphone, τέλειον γενέσθαι, ipse interpretatur, *Christianum fieri*.

CAP. VI.

1. UT *videamini ab eis*] Docet hic Christus exemplis beneficentiæ, precationis & jejuniorum, non posse Deo probari, quæ ideo fiunt, ut aut laus captetur aut gratia. At, *plerisque hominum*, ut ait ille, *major famæ sitis est quam virtutis*. *Mercedem*] Est quidem merces, ut Varro vult, à merendo: at *merere* aut *mereri* Latinis veteribus erat *consequi*. Merces illa, quam Deus rependit obedientiæ nostræ, fundamentum habet in liberali ac misericordi ipsius promissione.

2. *Noli tuba canere*] Locutio παροιμιώδης. Nam tuba convocare populum Hebræi solebant, ut Moses nos docet. Est autem σαλπίζειν populum testem quærere. Basilius facunde dixit, ut solet: τῆς ἐυπτιΐας σαλπιζομένης ὄφειλος οὐδέν. *Sicut hypocritæ*] quorum sunt, ut cum Poëta loquar, *mores personati*. Vetus dictum est: *Totus mundus exercet histrioniam*. *In Synagogis*] Recte transferas, *in circulis*. Latissime enim patet vocis usus. Quin & nunc Judæi liberalitatem suam maxime ostentant in exsequiis mortuorum. *Receperunt*] nihil ultra expectent.

3. *Nesciat sinistra tua*] est & hoc è proverbio sumtum. Cui non dissimile illud Imperatoris, qui interrogatus quando signum itineri daret, dixit: *Se tunicam quoque*

abjecturum

abjecturum, si consciam putaret. Sensus est: Benefac quam potes occultissime.

5. *In angulis platearum*] *In compitis*, ut Cicero & alii loquuntur. Eodem sensu dicitur *in triviis*. Solebat enim plebis concursus esse in triviis: unde *verba trivialia*. *Stantes*] stantes orabant Judæi, nisi luctus tempore; tunc enim orabant proni, aut in genibus. Vide *Dan.* 9. 10. quod & Christiani imitati. Nam in Quadragesima, quod tempus pænitentiæ dicatum, orabant in genibus; diebus Dominicis & in Pentecoste, non nisi stantes. Tertull. de Oratione: *Quando stamus ad orationem.* Inde piorum conventus *Stationes*.

6. *Clauso ostio*] Quæ de conclavi & obserando ostio dicuntur, sunt desumta ex Communi usu, ad ea denotanda quæ sine strepitu fiunt. *Qui videt*] ὁ πάνθ' ὁρῶν τε κ' αὐτὸς οὐχ' ὁρώμενος, philemen.

7. *Nolite multum loqui*] Prohibemur Deo verba annumerare, quasi ille preces ex prolixitate potius & labore externi istius operis, quam ex intimo animi affectu, cui excitando non indicando in precibus verba inserviunt, metiretur. Id erat gentibus perquam familiare. Contra eum morem est illud Plauti in pænulo: *Paucis verbis rem divinam facito.*

9. *Sic ergo vos orabitis*] In hanc formulam congessit Christus, quicquid in Hebræorum precibus erat laudabile: sicut & in admonitionibus, passim utitur notis eo seculo proverbiis. Tam longe abfuit ipse Dominus Ecclesiæ ab omni affectatione non necessariæ novitatis. *In cœlis*] Vide supra 5. 16 *Sanctificetur*] Recte Hebræorum magistri hoc ad pietatis opera referunt.

10. *Veniat regnum tuum*] Hoc pertinet ad ejus Doctrinæ, quæ tum Judæam tantum personabat, propagationem per Omnes terras. Vide *Luc.* 9. 27. *Fiat voluntas tua*] *In hoc dicto ad sufferentiam nos ipsos admonemus*, inquit Tertullianus. Sed quæ sequitur comparatio videtur ad imperia potius divina pertinere, non excluso tamen eo quem dixi sensu. Nam & hoc inter imperata est, ut

quicquid

quicquid de nobis statuerit divina providentia æquo feramus animo. *Sicut in cœlo*] possis de astrorum cursu interpretari: Sed probabilius est de Angelis sensisse Christum, & spectatum ab eo Psalmi locum, 103. 21.

11. *Da nobis hodie*] Multi homines, incerti quam diu sint victuri, senectutis exspectationem avaritiæ prætendunt; & sæpe quo minus est vitæ, eo plus quæritur viatici. Vult Christus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitæ supereſt, tantum nobis suppeditet alimentorum. *In diem viventes* dicuntur, qui contenti sunt præsentibus, neque in longum sunt soliciti. Ita optime cum hac prece consentit præceptum Christi, quod infra est commate 34. Omninoque idem significat, quod quotidianæ *mannæ* largitione olim adumbrabatur.

12. *Et dimitte nobis debita*] Tertull. *Debitum in scripturis delicti figura est.* Lucas posuit ἁμαρτίας peccata. Debere quidem omnes ita precari, docet nos optimus Christi interpres Joannes 1 *Epist.* 1. 9. *Sicut & nos dimittimus*] sensus est, non frustra hanc indulgentiam à te speramus, cum nos filii tui, tuo exemplo, simili indulgentia homines alios prosequamur.

13. *Et ne nos inducas*] Sensus est, ne nos sinat oneri succumbere. Qui viribus suis plus æquo confidunt, Deus illos ad tempus velut abdicat. Hoc jubemur agnitione infirmitatis nostræ & assiduis precibus antevertere: infra 26. 41. Cyprianus habet, *Ne nos patiaris induci. Sed libera nos à malo*] Facit hoc Deus, aut explorationem clementer temperando ad eas quas accepimus vires, aut vires etiam augendo arcanis & ineffabilibus auxiliis. Utrum autem sit potius, paternæ Dei providentiæ permittendum est. Diabolus, ille malus, miris artibus, & cupiditates inflammat, & hostes instigat: unde ὁ πειράζων dicitur. *Quia tuum est*] Hæc δοξολογία in vetustissimis exemplaribus Græcis non exstitit.

14. *Si enim dimiseritis*] Non vetat Christus παιδείαν καὶ νουθεσίαν, quam parentes liberis, imo & alii aliis debent; neque judiciorum leges tollit; quanquam certum est,

est, in illis etiam exercendis clementiam requiri: Sed vult ab ultione animo esse alieno, ita ut eam nec exigamus ipsi, nec à judice, imo ne à Deo quidem postulemus; sed, ut modo dicebat, beneficiamus iis qui nos læserunt. Beneficium autem est, etiam precibus ipsos apud Deum adjuvare. Senecæ est: *Ut absolvaris, ignosce:* & in Trag. *Det ille veniam facile, cui venia est opus.*

16. *Quum autem jejunatis*] Christus, ut non improbat jejunii exercitationem, ita eos hic notat qui per talia famam sanctimoniæ aucupabantur. Quod præcipue in Pharisæos convenit.

17 *Unge caput tuum*] Hoc est, præfer vultum & habitum quotidianum. Nam & lavari, & ungi solebant Judæi, eorumque vicini, extra luctus tempora.

18. *Reddet tibi*] Habet ergo jejunium suam quoque mercedem: nimirum, non seorsum spectatum, sed quatenus pietati inservit. Vide 1 *Tim.* 4. 8.

19. *Nolite thesaurizare*] Notatur hîc vitium φιλαργυρίας, *pecuniæ studium*, ut Sallustius loquitur: quod Commatis 25. Et sequentium cum his antecedentibus connexio manifestum facit. Qui hoc agunt, ut quam plurimum habeant, aut id faciunt, ut ipsi lautius, mollius ac superbius vivant; aut nuda possessione delectantur: utrumque autem obstat beneficentiæ. *Ubi fures*] simili argumento Martialis homines ad liberalitatem invitat. Nam cum enumerasset casus, quibus subjecta esse solent quæ possidemus, tandem concludit:

Quas dederis, solas semper habebis opes.

20. *In cælo*] Apud Deum. Penu autem istud, quod Christus recondi jubet, sunt opera bona, ut Paulus interpretatur, 1 *Tim.* 6. 17, 18. ut quæ Deus in memoria sua asservet, olim nobis profutura.

21. *Ibi & cor*] Et sane verum est, quod Philosophi etiam docent, ex decretis in animo conceptis sequi τὰς ὁρμὰς καὶ τὰς ἐγκλίσεις. Epictetus, ut solet, nervose: ὅπου τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές: unde etiam sollicitos nos esse debere, ut discamus rem quamque suo pretio æstimare. Vide Aululariam Plauti.

22. *Lucerna*

22. *Lucerna corporis est oculus*] Hinc oculi φάεα Græcis, Latinis *lumina*. Comparat autem Christus judicium oculis, animum corpori. *Simplex*] qui non fallit. *Lucidum*] pleræque corporis actiones ductu oculorum diriguntur: ideo corpus dicitur, oculis recte se habentibus, illustrari; ægrotantibus, tenebris involvi.

23. *Tenebræ quantæ erunt*] Quam cæcos affectus necesse est sequi, judicio mentis corrupto?

24. *Duobus Dominis*] sunt autem tales Domini, pietas & φιλοχρηματία. Utraque enim totum sibi hominem postulat. Arrianus Epict. 4. 2. Οὐκοῦν χρὴ ἐπαμφοτερίζειν δύνασθαι προσέχειν.

24. *Ideo*] Quia sc. non potest animus simul in pietatis & divitiarum studia intendi. *Ne solliciti sitis*] Christus ostendit Deum nobis & posse & velle prospicere de necessariis, etiamsi nos obiter tantum curantes ea quæ præsens usus requirit, omnem animi vim intendamus in studia pietatis: quod illustribus argumentis fulcit. *Nonne anima plus est*] Pluris facienda. Ad vitam sustentandam cibariis opus est, vestitu ad defendendum corpus contra cæli injurias: Deus autem est qui vitam & corpus nobis dedit: quidni igitur dare & possit bona quæ ad utrumque tuendum sunt necessaria.

26. *Respicite volatilia cæli*] *Ps.* 104. 12. Lucas speciem posuit *corvos*: nimirum quod id animal in volucrium genere cibi sit avidissimum. Si Deus volucribus prospicit adversus inediam, quibus non est ea industria quæ est hominibus, quanto magis hominibus prospicit? vide 28.

27. *Adjicere ad staturam*] Quod si hoc quod minus est Deus efficit citra studium nostrum, quanto magis citra anxiam nostram solicitudinem illa potiora in nobis conservabit?

29. *Nec Solomon*] Solomonem nominat, quia ejus temporibus, ob longam pacem & navigationem in terras auriferas, res Judæorum fuerant florentissimæ. *Sicut unum ex istis*] Quia nimirum nulla ars potest cum natura contendere. Vide Chrysost. in loc.

30. *In clibanum*] Solebant furni incendi, non tantum ramalibus arborum, sed & floribus, postquam exaruerant, quemadmodum & paleis & lolio.

33. *Quærite primum*] *Hoc agite*, ut in sacris dici solebat. Neque enim contentus est Deus, aut perfunctoria, aut dimidiata opera; sed vult in sui cultu præcipue nos esse occupatos. Respicitur non obscure id, quod est in historia Solomonis; cui sapientiam optanti, & sapientia data est, & ea quæ non optaverat. 1 *Reg.* 3. 2. *regnum dei*] Regnum cæleste meta, Justitia est via, qua ad regnum pervenitur. *Adjicientur vobis*] Quæ ad hanc vitam desiderantur, accessionis habent vicem: quapropter etiam parcius solent piis contingere, quo magis illis rebus honos & pretium detrahatur.

34. *In crastinum*] i. Nolite curam in longum promittere. Nam *crastini* appellatione futurum Hebræis continetur. Alludit ad id quod de *manna*, nobili pignore divinæ providentiæ, legimus *Ex.* 16. 20.

CAP. VII.

1. NOlite *judicare*] Apparet ex sequentibus, non de qualibuscunque judiciis Christum agere, sed de iis quæ rigide exercentur. Vide *Jac.* 2. 13.

2. *remetietur vobis*] Mos erat Christo, dicta de rebus humanis usurpari solita, ad divinas transferre. Plane autem statuo, de Dei judicio hic agi, non minus quam apud Jacobum.

3. *Quid autem vides festucam*] Eos proprie tangit Christus, qui ad minora aliorum vitia perspicaces, ad sua longe majora connivent: qualis ille quem Flaccus ita objurgat, *Cum tua proveneat &c.*

5. *Et tunc videbis ejicere*] Non tantum quia culpa careat oportet, qui paratus est in alterum dicere; sed quia severi isti castigatores plerumque ulcus habent in animo latens, quod obstat quo minus æqua lance aliorum facta examinent;

examinent; superbiam sc. cum contemtu aut etiam odio aliorum. Hunc morbum ubi expulerint, tum demum idonei erunt, qui de aliis judicium ferant.

6. *Nolite dare sanctum canibus*] Docet Christus, qua cautione sapientiæ præcepta aliis sunt impertienda. *Canes* cum Clemente Alex. poterimus intelligere eos, qui monitis impudenter obstrepunt: *Porcos* autem, qui non contradicunt quidem, sed vitæ impuritate ostendunt quanto contemtui monita habeant. Nam aliud est datum procul carere, quod porcorum est: aliud porrigentem morsibus petere, quod canum.

7. *Petite & dabitur vobis*] Hic traditur, quo modo possimus cum æqui bonique illa, quæ ad instituendum constanter hoc iter, à Christo monstratum, sunt necessaria. Supra dixerat, ad affectus rectè dirigendos, opus esse ut mentis oculi luceant. Ad hanc rem impetrari vult à nobis lumen cæleste, idque contentis precibus. Vide *Luc.* 11, 9. *Fac.* 1. 5.

9. *Nunquid lapidem*] Adagium hoc, de pane & lapide, ab Hebræis ad alias gentes transiit, ut ex Plauto apparet: *Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.*

11. *Quum sitis mali*] Deo sc. comparati. Vide *Job.* 15. 14, 15. *bona data*] Bene transtulit δόματα data: Est enim ea vox Latinis etiam substantiva. Gloss. vet. δόσις, *datum. Labit bona*] Dona sp. sancti, ut Lucas.

12. *Quæcunque vultis ut faciant vobis*] Cum de precibus dixisset Christus, jam ea addit quæ conatus nostros excitent. Oportet enim ista conjungi. Jubet autem nos dare operam, ut aliis præstemus ea, quæ ratio dictat, non inique nos ab aliis postulaturos. Severus Imp. narratur in ore habuisse nobilem hanc sententiam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hæc enim est lex & propheta*] Intelligendum est de lege & monitis, spectantibus mutua inter se hominum officia.

13. *Lata porta*] Vitia late patent, & quibusvis affectibus famulantur. Pietatis unica via est, non cupiditatibus

tibus noſtris indulgens, ſed divinis præceptis undique circumſepta.

14. *Qui inveniunt*] Qui eam aſſequuntur, ut *Lu.* 1. 30. Quare autem non aſſequuntur? Quia de rerum finibus viiſque ad finem non recte judicant, neque ut recte judicare poſſint operam ponunt. Magna a. hujus rei culpa eſt penes malos magiſtros, de quibus conſequenter agit Chriſtus.

15. *A falſis prophetis*] Hebræis prophetæ dicebantur non tantum præſagi futurorum, ſed & alii qui ad populum docendum procedebant, præſertim ſi mandata cœlitus data præ ſe ferrent. De iis agi arbitror, qui ſe Chriſti ſectatores profiterentur; ob ea quæ cohærent inf. 21. *Falſos* a. vocat, non ratione miſſionis, ut ex eodem com. 21. convincitur, ſed ob doctrinam falſam & exitialem. *In veſtimentis ovium*] Sub habitus nomine omnem exteriorem innocentiæ ſpeciem, in vultu, verbis & operoſis ritibus vult intelligi; præſertim vero illas χρησολογίας & εὐλογίας, de quibus agit Paulus *Rom.* 16. 18. *Lupi rapaces*] Pietatem quæſtui habent, 1 *Tim.* 6. 5. Sic & in Æſopi fabulis lupus inducitur ovina pelle obtectus.

16. *A fructibus*] Ex operibus iniquitatis, ut inf. 23. Atqui, jam dictum eſt pietatem ab iſtis vel maxime ſimulari. Sane; ſed verum eſt illud Mimi:

Cito ad naturam ficta recidcrunt ſuam. Fructus eorum hi eſſe ſolent: quod perpeſſiones defugiunt; allectant eos qui in vitiis hærent, præſertim opulentiores; quæſtiones movent nihil facientes ad profectum pietatis; libenter obtrectant aliis, præſertim in dignitate poſitis, &c.

18. *Non poteſt arbor bona*] Tale eſt & Menandri illud.

Οὐδεὶς πανηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ. Hoc vult: Si vere eſſent iſti amantes pietatis, quales haberi volunt, non talia admitterent.

20. *Igitur ex fructibus*] Cum libenter homines moribus

ribus ſuis convenientia doceant, ex factis iſtius modi ſuſpectos ipſos habete priuſquam dogmata ſua vobis inſtillent. Quales magiſtri ſunt, tales facturi ſunt & diſcipulos.

21. *Non omnis*] Et qui obediunt Chriſto comprehenduntur in iſta univerſalitate dicentium Chriſto, *Domine, Domine*; i. eorum qui ſe Chriſti ſectatores profitentur, *Joh.* 13. 13. Communis utriſque eſt profeſſio Chriſtianiſmi, at obedientia eos diſtinguit. *Sed qui facit*] Ignatius ad *Magneſios*: ὃ γὰρ τὸ λέγεσθαι ἀλλὰ τὸ εἶναι μαθητὰν ποιεῖ. Salvian: *Nomen n. ſine actu & officio ſuo nihil eſt.* Hi *regnum* de æterna felicitate interpretantur.

22. *In nomine tuo*] i. profitendo nos id facere ad teſtandum potentiam tuam. Cum vero miracula in teſtimonium veritatis data ſint, mirum non eſt etiam per eos fuiſſe edita, qui veritatem palam agnoſcebant, quanquam animum ad ejus obedientiam non compoſuiſſent. *Prophetavimus*] Cum hic de factis admiratione dignis agatur, plane hic futurorum præſagia intelligenda arbitror.

23. *Et tunc confitebor illis*] Quia Hebræum יָדָה, quod ſæpe valet *confiteri*, latius patet, & quamvis publicam profeſſionem ſignificat, ideo & τὸ ὁμολογεῖν Helleniſticus uſus eo uſque extendit. *Nunquam novi vos*] Nunquam vos pro meis habui, ut *Gal.* 4. 9. more Hebræo, *Pſ.* 1. 6.

24. *Qui audit*] Verbo ἀκούειν tota profeſſio deſignatur. *Et facit*] ποιεῖν propoſitum agendi ſignificat. Atque hic notandum eſt diſcrimen aſſenſionis contemplativæ tantum & aſſenſionis activæ. Nam ut aſſenſio fiat activa hæc tria requiruntur: primum, ut diligenter conſideretur, quæ ſit via à Chriſto præſcripta, quæque difficultates internæ atque externæ eam comitentur; deinde, ut attente itidem expendatur magnitudo æternæ ejus gloriæ quam Chriſtus promittit; tertio, ut bene infigatur animo certa connexio viæ iſtius

cum

cum meta & metæ cum via; nempe ut conſtet fieri non poſſe quin iſtac eo veniatur, nec alia eundo eodem poſſe perveniri. His bene perceptis atque meditatis, flectitur voluntas in obedientiam intellectæ veritatis, unde inſurgit in animo dilectio, quæ radicis & fundamenti vicem præſtat, *Eph.* 3. 18. Hæc eſt quæ contra blanditias voluptatum, &c. *Vide Auctorem.*

25. *Super petram*] Subſtrato ſolo ſaxeo cui ſuperficies incumbat. nam ut arces intelligamus in rupibus poſitas, non ſatis patitur id quod ſequitur de fluminis impetu. Oppoſitum eſt *in arena ædificare* etiam Latino proverbio tritum.

27. *Venerunt flumina*] *Inundatio* in Pſalmis ſæpe res adverſas ſignificat: quod & βάπτισμα vocatur inf. 20. 22. Sic & *Eſa.* 59. 19. Hoſtilis adventus *fluvio* comparatur. *Flaverunt venti*] Compara *Dan.* 7. 2. Chriſtus contra fluvios & ventos firmum præſidium *Eſa.* 32. 2. 29. *Sicut Poteſtatem habens*] Hoc eſt quod narrat Lucas, 7. 16. dixiſſe populum, *Magnus propheta internos exſitatus eſt, & inviſit Deus populum ſuum.* Atque hinc apparet, ἐξουσίαν hic ſignificare jus ac poteſtatem extraordinariam. vide inf. 21. 23.

Gerard. Voſſus *de Idol.* 1. 36.

Illuſtriſſimus & omni laude major *Hugo Grotius.*

D. Mericus Caſaubonus.

Quod ipſo vivente præ me tuli ſemper, id jam de vita functo profiteri palam non pigebit: eum eſſe me, qui ſcripta *Grotii* peculiari quadam ob admirationem judicii & ingenii (quæ ſumma in illo, ſi quid ego judico, præter inaffectatam puriſſimi ſtili ſimplicitatem fuerunt) veneratione proſecutus ſum. *De uſu verb. p.* 57.

D. Arn. Poelenburg *in Epiſt. de Comment. H. G. in Evangeliſtas.*

Unde multo majus clari tudinis decus acceſſit, & ipſi & veritati divinæ, quam ſi in ſummo Ordinum conſeſſu, in luce provinciarum, inter illuſtres Hollandiæ proceres permanſiſſet. Grotii

Grotii Obitus.

Ex Epist. Joh. Quistorpii T. P. primarii Templi Rostoch. pastoris.

* *Secundo ab ingressu in hanc urbem die (qui st. vet. erat 18. Aug.) me hora nona vespertina ad se vocat* (Grotius) *Accessi; propemodum in agone virum constitutum offendi. Compellavi, & me nihil maluisse affirmavi, quam ut mihi cum ipso incolumi sermones sociare licuisset. Regerit ille,* Ita Deo visum fuit. *Pergo: ut ad beatam emigrationem se componat, peccatorem agnoscat, super commissa doleat, moneo: quumque inter loquendum Publicani peccatorem se fatentis, & ut Deus sui misereretur precantis, meminissem: Respondet,* Ego ille sum publicanus. *Progredior: ad Christum, extra quem nulla est salus, ipsum remitto. Subjicit ille,* In solo Christo omnis spes mea est reposita. *Ego clara voce precationem illam Germanicam Germanice recitabam:* Heer Jesu, *Wahrer Mensch und Gott,* &c. *Ille complicatis manibus, submissa voce me insequebatur. Quum finivissem, quæsivi an me intellexisset. Respondit,* probe intellexi. *Pergo illa recitare ex verbo Dei, quæ jamjam morturis in memoriam revocari solent. Quæro, an me intelligat? Respondit,* Vocem tuam audio; sed quæ singula dicas, difficulter intelligo. *Quum hæc dixisset, clare conticuit, & brevi post, spiritum exhalavit, in puncto duodecimæ nocturnæ.* * Dabam Rostochii proptidie Michaelis, Anno 1645.

Lege 16. 1. χότες 17. 3. cœl. 13. buntur 18. 16. locatæ: 19. 1. lata. 28. videbunt.

FINIS.